Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 911

Quelle:
Copyright:

Nomina vero Capitularium: *Jacobus Cuſtos, Nicolaus de Luthomiſl, Wenceslaus de Har dictus Dobrman, Johannes de Dedivav, Andreas de Givvicz, Petrus dictus Wierdung, Wilhelmus de Rozmital, Bohunco de Gemiſt, Magiſter Johannes Kralovvicz, Nicol. Vbaldini, Franciſcus de Gewiczka, Johannes de Drachkav, Johannes Kytlicz, Magiſter Johannes Neoſtup, Thomas Cantor.* Unde Codicem e *Bohemia* ad nos delatum puto.

CCCCI.

R. 3336 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 199. 4. min. non una manu, plerumque tamen nitide perſcriptus, minioque diſtinctus, paullo tamen, praecipue circa finem, pejus habitus continet *Expoſitiones V. T. e Libris S. Gregorii Papæ* ſelectas eo vivente a *Paterio* Eccl. Rom. Notario et Secundicerio, et hic inſcriptas: *In nomine Sanctæ Trinitatis incipit Liber teſtimoniorum veteris teſtamenti. Quem Paterius De Opuſculis ſancti Gregorii papæ cum ſummo ſtudio excerpi curauit.* Ita quidem: *Uirtutes Angelicæ, quæ divino more* (l. amore) *fixæ perſtiterunt* &c. Praeit vero Prooemium ejusmodi: *Cum beatiſſimi atque apoſtolici gregorii pontificis noſtri* &c. ut in Exemplo, quod *Vol.* I. P. 1. *col.* 954. produxi, et in Edit. *Maur. Opp. Gregorii* T. IV. *Pariſ.* 1705. P. 2. *col.* 1. Cum hac Editione compoſitus Textus noſter inferior quidem diſcedit, rectius tamen legit: *me nolente atque hoc cautius* &c. quam: *me volente.* Prooemio ſuccedit Capitulare in *Geneſin* idem, quod in Edit. ſed numeri contracti a LXXIX. ad LXXV. Dein Opus ipſum, in quo C. IV. in fine vel *adhibeat*, vel *ferat* penitus omittitur, nullo ſententiae damno. C. XV. deeſt. In principio C. edit. XXII. quaedam nobis usque ad: *Quatuor modis peccatum* &c. omiſſa ſunt. C. edit. LXXII. nobis paullo aliter incipit. Inter edit. C. LXXIII. et LXXV. deeſt nobis LXXIV.

A *fol.* 30. *Incipiunt Capitula Libri Exodi.* In edit. LXII. nobis LVIII. quibus C. III. XI. XVII. deeſt. Non poſſum praeterire lectionem edit. C. LVII. *Dum de viſione ſcientiæ tractaretur*, ubi notant *Mauriani*, in Excuſis legi: *de diviſione ſcientiæ.* Utrumque prave; manifeſte enim reſtituendum e noſtro: *Dum de viſione diuinæ eſſentiæ.* Ceterum Capitum initia non raro verborum collocatione differunt, quod de toto opere monere velim.

A *fol.* 55. p. 2. *Incipiunt Capitula Libri Levitici.* Capitum numerus utrobique XV. C. XI. non habet illum procurſum, quem in Codice ſupra memorato *Vol.* I. indicavi.

A *fol.* 62. *Incipiunt Capitula Libri Numeri.* Sunt utrobique XXIV. Ut ſpecimen variationis initiorum dem, en C. XI. initium: *Cum de preponendis populo, quod morum in eis eligenda ſit grauitas, & non temporum prolixitas requirenda, tractaretur, adjunctum eſt:*

Con-